

occidentalis eius est terminus. A septentrione usque ad montem Caucasum peruenit. Gentes habet multas & oppidis adeo est exulta, ut quidam in ea 5000, fuisse dicant. Fluuios memorabiles, Gangem, Indum & Hypanum habet, sed omnium maximus Ganges, quippe in quem multi fluunt amnes. Latitudo eius dicitur esse 30. stadiorum. Hic fluuius alit crocodilos, delphines, & alias beluas. Terra India saluberrima, bis in anno metit fruges. Fert Cinnamonum, piper & calamum aromaticum. Ebenum arborem sola producit, psittacum auem, monoceron bestiam. Excellit pulchritudine ceteras mundi partes, distincta multis, que eam rigant, fluminibus. Est in ea incredibilis elephantorum numerus, & magna copia auri, argenti, ferri, aris & lapidum preciosorum. India interior habet sylvas spaciosissimas, proceram altitudinis arbores, & umbrosas, leuantes astitum solis: aquas largas manantes fontibus. Est quoque in ea magna uis serpentium. Squamis fulgorem auri reddentium. Nec est uirus magis noxium, quia morsum praesens mors sequitur, nisi mox remedium adhibeatur incolis notum. Legimus monoculos quoque in India esse. Quosdam etiam tam insigniter auritos: ut aures ad pedes defluant, atque in alterutram earum decubent, quarum duricie arbores couellant. Quosdam etiam singulis pedibus & adeo latis, ut ubi se defendi a calore uelint, resupinati his totaliter inumbrentur. Sunt qui ceruicibus carent, & in humeris habent oculos. Sed haec & similia partius sunt referenda, quae de India memorantur, quoniam magna opus est fide ut pro ueris recipiantur, quum ne his quidem quae penes oculos sunt admota fides nisi grauate adhibeatur. In Caucaaso Indiae monte, ea fronte qua soli obuersus est, crescunt arbores piperis, quas ad iuniperi similitudinem fructus suos adere scriptores tradunt. Inter Indos Bragmana gens fuit, quae pura & simplici uita uiuit, nullis rerum illecebris capi-

tur, nil appetit amplius quam ratio naturae flagitat. Facilis huic alimonia, non quam luxuria sagacitas per omnia elementa perquirat, sed quam tellus ferro inuolata producat. Hinc est quod genera morborum nec nomina numerat diuersa, sed diuturna salute perfruitur. Vna genti lex est, Contra ius non ire naturae. Sole calescit, rore humectatur, sitim riuo frangit, thorum ministrat humus, somnum sollicitudo non rumpit. In extruendis domibus igne saxa non soluit: quin potius in defossis telluris speluncis aut concauis montium latebris habitat, nullos ibi uentorum fremitus, nullius turbinis tempestatem formidat. Tutius se ab hembre defendere speluncam arbitratur quam tegulam, cuius geminus est usus, dum uiuit mansionis, sepulturae quando moritur. Nullus ibi preciosus amictus, sed membra papyri tegmine uelatur. Foeminae non ornantur ut placeant, nec sciunt plus affectare pulchritudinem quam naturae sunt. Ad concubitum non admonet libido, sed sobolis amor. Nemo extruit instar templorum sepulchra defunctis, nec in gemmatis urnis funera combusta recondit. Pestem aut alios corporis morbos Bragmanni non patiuntur, quia foedis actibus coelum non temerant, sed semel apud eos tenet natura cum temporibus concordiam. Medicinam remedium parsimonia est, quae non solum illapsos potest curare dolores, sed etiam procurare ne ueniant. Quoniam Indorum gentes multae sunt, diuersae & forma et lingua propter latissimum regionis tractum, non eisdem omnes uiuunt moribus. Eorum qui auroram spectant, alij rei pecuariae dediti sunt, alij non. Alij in palustribus fluminibus habitantes, crudis uescuntur piscibus, alij sunt pecuarij, qui crudis uescuntur carnibus. Sunt alij qui nullum interficiunt animans, nec ferunt, nec domos parant, sed habent semen quoddam instar milij sua sponte crescens e terra, quod cum ipso folliculo lectum coquunt, eduntque.

Taprobana